

*Venite benedicti Patris mei.*

✠ Lécctio sancti Evangélii  
secúndum Matthæum

25, 31-46

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis:

- <sup>31</sup> «Cum vénerit Fílius hóminis in glória sua,  
et omnes ángelis cum eo,  
tunc sedébit super thronum glóriæ suæ.
- <sup>32</sup> Et congregabúntur ante eum omnes gentes;  
et separábit eos ab ínvicem,  
sicut pastor ségregat oves ab hædis,
- <sup>33</sup> et státuet oves quidem a dextris suis,  
hædos autem a sinístris.
- <sup>34</sup> Tunc dicet Rex his, qui a dextris eius erunt:  
“Veníte, benedícti Patris mei;  
possidéte parátum vobis regnum a constitutióne mundi.
- <sup>35</sup> Esurívi enim, et dedístis mihi manducáre;  
sitívi, et dedístis mihi bíbere;  
hospes eram, et collegístis me;
- <sup>36</sup> nudus, et operuístis me;  
infírmus, et visitástis me;  
in cárcere eram, et venístis ad me”.
- <sup>37</sup> Tunc respondébunt ei iusti dicéntes:  
“Dómine, quando te vídimus esuriéntem et pávimus,  
aut sitiéntem et dédimus tibi potum?
- <sup>38</sup> Quando autem te vídimus hóspitem et collégimus,  
aut nudum et cooperúimus?
- <sup>39</sup> Quando autem te vídimus infírmum aut in cárcere  
et vénimus ad te?”.
- <sup>40</sup> Et respóndens Rex dicet illis:  
“Amen dico vobis:  
Quámdiu fecístis uni de his frátribus meis mínimis,

mihi fecístis”.

- <sup>41</sup> Tunc dicet et his, qui a sinístris erunt:  
“Discédite a me, maledícti, in ignem ætérnum,  
qui præparátus est Diábolo et ángelis eius.
- <sup>42</sup> Esurívi enim, et non dedístis mihi manducáre;  
sitívi, et non dedístis mihi potum;
- <sup>43</sup> hospes eram, et non collegístis me;  
nudus, et non operuístis me;  
infirmus et in cárcere, et non visitástis me”.
- <sup>44</sup> Tunc respondébunt et ipsi dicéntes:  
“Dómine, quando te vídimus  
esuriéntem aut sitiéntem aut hóspitem  
aut nudum aut infirmum vel in cárcere,  
et non ministrávimus tibi?”.
- <sup>45</sup> Tunc respondébit illis dicens:  
“Amen dico vobis:  
Quámdu non fecístis uni de mínimis his,  
nec mihi fecístis”.
- <sup>46</sup> Et ibunt hi in supplícium ætérnum,  
iusti autem in vitam ætérnam».

Verbum Dómini.